audivi, sedens in cathedra S. Helenae, de qua superius mentionem feci fol. 114. A.

De Officio dominico in dominico sepulchro celebrato, et de modo celebrandi, et de ordine.

Ut autem factum est noctis medium, sacrista cum tabula lignea cucurrit per templum, et magno strepitu ad matutinas signum dedit. Quod ut audivi, statim ascendi, et nondum confessis aliam (B) horam statui, qua eos audire vellem, et ingressus sacristiam, quae est capella beatae Virginis annexa, indui me ad Missam celebrandam (habet enim ecclesia haec, sicut et Bethlehemitana, privilegium, quod semper mediis noctibus possunt celebrari Missae); paratus ergo exivi in sanctissimum dominicum sepulchrum, et primum in eo locum celebrandi cum quiete habui, et jucunde de dominica resurrectione celebravi. Sub Missa mea aliquos de nobilibus communicavi in monumento sancto de commissione patris Gardiani. Post me alii sacerdotes ad Missae celebrationem accesserunt, in sancto sepulchro et in aliis tribus locis, ut dixi fol. 110 A. in 6. artic.

Est tamen pro loco sancti sepulchri major contentio sacerdotum, et praecipue quando sunt plures. Stant enim ante sepulchrum et exspectant celebrantem, qui dum ab altari discedit, statim alius accedit, et dum ille, qui celebravit, se exuit sacris vestibus, astant sibi quinque aut sex, aut plures, qui omnes contendunt accipere easdem vestes, et dum albam deponit, omnes sex aut plures eam apprehendunt et trahunt, et offendunt se ipsos verbis in tantum, quod quasi usque ad verbera procedunt. Vidi sic certantes in tantum commotos, quod unus sacerdos dicebat alteri: dimitte mihi vestem E contrario alius dicebat: ego eam tenebo, tu non es dignus, ut me praecedas. Alius respondit: et tu non es dignus celebratione, ideo te praecedam, quia dignior sum, quam tu. Et inter haec usque ad turpia improbria et maledictiones procedebant, trahentes albam quasi usque ad diruptionem. Ecce quis unquam audivit litigium irrationabilius! O quanta fatuitas, quanta temeritas, quanta coecitas! Judicavi, sic litigantes

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;